Ioannes Dantiscus orator, Petro Tomicio episcopo Posnaniensi, regni Poloniae vicecancellario.

Tom. VII p. 105.

133

Reverendissime in Christo pater et domine domine gratiosissime: humillimam commendationem. Inter eundum accepi literas dominationis vestrae reverendissimae, et alias ad Iodocum quas illi perferam. Andreolus alio itinere nos praeterivit. Nos huc salvi appulimus cum domino collega. Praecessi eum, postquam ventum est extra periculum uno die, et veni huc ipsa Veneris die sancta. Cras hinc rursus equos nostros versus Novam civitatem praemittemus, secuturi feria quarta in curru Hungarico. Continuimus etiam hic senem illum Charontem Paulum Bot, si quid se novi offeret post istas, ut per eum scriberemus. Commendo hunc miserum senem dominationi vestrae reverendissimae, et rogo, cum semper bene mereri de dominatione vestra reverendissima studuerit, illum suo patrocinio non destituat. Aliud in praesentia scribendum non restat. Commendo me humillime dominationi vestrae reverendissimae, ut domino domino clementissimo, et rogo me sua solita gratia prosequatur. Datum Viennae feria se-

cunda

secunda Paschae anno Domini millesi-
mo quingentesimo vigesimo quarto.